Ob 12

SPRAWOZDANIA SZKOLNE
Książnica Kopernikańska w Toruniu
SCHULPROGRAMME

INDEX LECTIONUM

IN

LYCEO REGIO HOSIANO BRUNSBERGENSI

PER HIEMEM

A DIE XV OCTOBRIS ANNI MDCCCLXX—XXI.

INSTITUENDARUM.

PRAECEDIT **PROF. DR. FRID. MICHELIS** DE IMMANUELIS KANTII LIBELLO, QUI DE MUNDI SENSIBILIS ET INTELLIGIBILIS FORMA ET PRINCIPIIS INSCRIBITUR.

BRUNSBERGAE,

TYPIS HEYNEANIS.

1870

LYCEI REGII HOSIANI H. T. RECTOR

DR. ANDREAS THIEL,

PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS.

KSIĄŻNICA MIEJSKA
IM. KOPERNIKA
W TORUNIU

Stadtbibliothek
Thorn

aB 1472

LYCEI REGII HOSIANI BRUNSBERGENSIS

RECTOR ET SENATUS

CIVIBUS SUIS

S.

Annus quem agimus post Ch. n. MDCCCLXX praeter ceteras quas fert memorias genti nostrae celebres silentio praeterire quoque non sinit Immanuelis Kantii dissertationem inauguralem de mundi sensibilis atque intelligibilis forma et principiis ante hos centum annos scriptam. Hanc enim disputationem, quamquam non magna est, recte dixeris cardinem, in quo omnis philosophiae Kantianae certa cognitio et justa aestimatio vertitur, quas quidem nondum existere luculentissime certamina demonstrant ipsis his diebus inter doctissimos eosque philosophiae Kantianae deditissimos viros de ejus fundamento oborta. Noli autem putare mihi hoc contendenti in animo esse nude eis, quae Kuno Fischerus simili sensu de hac re disputavit, calculum apponere. Etenim quum in duobus doctrinis totum Kantianae philosophiae fundamentum sit positum, aesthetica atque analytica transscendentalibus, quas ille vocat, quarum prior in disputatione de mundi sensibilis atque intelligibilis forma atque principiis ita absoluta apparet, ut fere immutata a Kantio in Criticam rationis purae undecim annos post anno MDCCLXXXI editam sit translata, Fischerus ita totum philosophiae Kantianae cardinem in illa temporis spatiique doctrina, quae aesthetica transscendentali continetur, verti arbitratur, ut ex hoc loco Kantium ex philosophiae suae tirocinio ad ipsam philosophiae formam transitum fecisse contendat, contra quod ego non aesthetica sed analytica transscendentali, quae in Critica primum apparuit, philosophiae Kantianae ingenium singulare demum sese exseruisse teneo. Quae sententiarum differentia ne nauci tibi videatur, moneo ex ea pendere sententiam, quam de criticae Kantianae aut veritate aut falsitate ferre sive potes sive debes; id, quod scriptiuncula hac demonstrare mihi est propositum.

Aesthetica transscendentali notum est Kantium nihil aliud significare, quam doctrinam de tempore et spatio tanquam intuitibus puris sive formis solo aspectu perceptis, quae omnium rerum singularium perceptionem tanquam conditio necessaria antecedat. De qua sententia Kantii quam maxime controversa quid sit sentiendum hoc quidem loco intactum relinquo, unum quaerens, num ea sit ejus vis, ut ea posita et analytica transscendentalis et tota deinceps criticae series necessario sequatur. Et certo quodam modo hoc ita esse non nego; nempe ita, ut ex hac lacinia Kantium arripiens cum Schopenhauero cetera omnia, quae non

purum putum materialismum sapiunt, pro indignis Kantio habeas. Ita enim fieri non potest, quin hominem tanquam naturalem aliquem sive organismum sive mechanismum consideres, qui ut edendi dormiendi crescendi ceteris naturae officiis, ita etiam cogitandi officio fungens imaginationibus quibusdam sive ideis sit affectus, simili modo ac alios alias stirpes odores spargere, colores referre, formas fingere, alios alia animalia vitae usus prae se ferre videmus. Nam ne Schopenhauero ceterisque plurimis, qui hodie, dum materialismum sequuntur, animum, voluntatem cetera, quae sunt spiritualia, profitentur, injuriam inferre videar; quid illi sibi velint, id judicare a me est alienum, hominem autem propterea e numero ceterorum animalium eximi, quod inter ceteras imaginationes aliquas habeat, quae sublimiores videntur, si omnis cogitandi vis, quae in eo est, rerum naturae vindicatur, id concedere nullus possum. Ad Kantium autem quod attinet, neglexit ille quidem, quomodo intuitus puri quos dicit temporis spatiique in homine nascantur, accuratius inquirere — nam quod conceptum utrumque acquisitum, non a sensu quidem objectorum abstractum sed ab ipsa mentis actione secundum perpetuas leges sensa sua coordinante, quasi typum immutabilem ideoque intuitive cognoscendum dicit (sect. III, §. 15 in coroll.), id desiderio inquisitionis criticae minime satisfacit — certissimum autem est, illam materialistarum sententiam, secundum quam humanam cogitationem ex solo corporis munere repetunt, a Kantio cum, posteaquam criticam suam excoluit, tum prima philosophiae suae aetate fuisse alienissimam. Quaestio igitur, de qua agitur, haec est, illud philosophiae cum rerum supernaturalium cognitione dissidium, in quo criticae Kantianae ingenium elucet, num cum doctrina, quam de tempore spatioque Kantius induxit, aut reapse aut saltem ex Kantii sententia, necessitatis vinculo conjunctum sit; quod utrumque nego. Temporis enim spatiique doctrinam, quum primum in disputatione, quam tractamus, Kantius proponeret, ita enarravit, ut simul quid transscendentalis notione, quo nomine postea eam significavit, contineatur veri, luculentissime indicetur. Fallitur enim Fischerus qui transscendentalis notione contendit id voluisse Kantium significare, dogmaticam quam vocant se transscendere philosophiam[1]; quum principali saltem Kantii sensu nihil aliud hac notione indicetur, quam ea veritatis cognoscendae lex, qua a conditionatis ad conditionem, a singulis ad universalia, a partibus ad totum ascendere jubemur; quam quidem haud invite concedemus ex intimis verae philosophiae visceribus esse haustam. Universae igitur disputationi Totius notionem Kantius subjecit, mundi scilicet, cui quaecunque tanquam entia concipiuntur ipseque Deus involvuntur; satis id quidem confuse, quod tamen nunc non curo. Duo autem quum Kantius rerum genera distingueret, unum visibilium, intelligibilium alterum, utriusque ad Totius relationem excutit. Et hoc quidem in patulo est; impeditior autem quaestio ex eo oritur, quod Kantius tempus spatiumque rerum, quatenus sunt phaenomena, formam subjectivam esse voluit, quam sententiam in disputatione de Mundi sensibilis et intelligibilis Forma atque principiis manifesto profert. (Conf. Sect. III, §. 14, 5 Tempus non est objectivum aliquid et reale, nec substantia, nec accidens nec relatio, sed subjectiva conditio per naturam mentis humanae necessaria, quaelibet sensibilia certa lege sibi coordinandi et intuitus purus. Ibd. §. 15 Spatium non est aliquid objectivi et realis, nec substantia nec accidens nec relatio; sed subjectivum et ideale e natura mentis stabili lege proficiscens, veluti schema, omnia omnino externe sensa sibi coordinandi.) Ex hac autem doctrina totum idealismum transscendentalem recte colligere sibi videntur. Si enim revera tempus et spatium formae subjectivae cogitationis humanae

---

[1]) K. Fischer, Hist. phil. recent. II, 16. ed. prim.

sunt, necessario sequi videtur, quaecunque temporis spatiique ambitu continentur, non nisi in nostra cogitatione existere. Contra quod duo habeo, quae moneam. Primum enim, si Kantius tempus spatiumque subjectivas mentis humanae formas esse voluit, non ideo etiam singulorum hominum, qua singuli sunt, formas esse contendit, ac si ille singulorum hominum cogitatione rerum naturam effici statuisset; quae profecto non fuit Kantii sententia. Verum quidem est, si de cogitatione humana agitur, singularum mentium agitationem non posse praetermitti, ipsa autem cogitatio humana non sola singulorum agitatione conficitur, sed est lex communis, quam singuli, si quidem secundum rationem cogitare tanti faciunt, sequi debeant. Haec lex quo in loco sit quaerenda, quoque vinculo singulorum hominum mentes cum ea contineantur, ejus rei rationem reddere, quae erat philosopho critices auctore digna, Kantius supersedit, hoc uno contentus, ut ad leges perpetuas, quibus humanae mentis agitatio regeretur, nos relegaret (conf. locum supra ullatum Sect. III. §. 15 in coroll.). Alterum, quod monendum habebam, hoc est, ut ne praetermittas, de rebus tanquam phaenomenis tantum non de rebus ipsis illam spatii temporisque conceptum valere. Res autem ipsas sive substantiam rerum negare num post criticam fundatam Kantii sententia fuerit, jam non quaero; certe anno 1770 haec sententia ab eo fuit alienissima. Accurate igitur si Kantii sententiam excutis, nihil aliud eum dixisse intelliges, quam humanae mentis agitationem ea lege esse adstrictam, ut rerum visibilium apparentiam non nisi formis quibusdam eas continentibus percipere possit. Quae sententia, ut est verissima, sic tantum abest, ut rerum ipsarum cognitionem extra spatii temporisque fines positarum excludat, ut ipsa ad fontem hujus cognitionis in sublimiori aliquo intellectu, nempe divino, investigandam provocet. Hanc autem esse Kantii mentem disputationis progressus luculentissime demonstrat. Prolata enim illa de tempore spatioque doctrina, ad ipsa rerum intelligibilium principia investiganda accedens, in Sect. IV. ita disputationem instituit, ut ex ipsa illa doctrina argumentum petat, quo singularum rerum mundo contentarum unitatem atque cohaerentiam, qua unum quoddam totum efficiunt, evincat eosque eludat, qui, quum tempus spatiumque pro objectivis et realibus habeant, unius totiusque mundi conceptus quo fundamento innitatur quaerere negligant. Ita autem fit, ut ipse ille temporis spatiique conceptus subjectivus ex altiore fonte repetatur ejusque fundamentum in rerum finitarum ad infinitum relatione investigetur. Haec disputationis pars parum adhuc aut respecta aut intellecta esse videtur, ut singula apponere non alienum sit. §. 16 Postquam sententiam illorum, qui spatium tempusve pro reali aliquo et absolute necessario omnium possibilium substantiarum et statuum quasi vinculo habent, refutavit, ita pergit: Verum praeterquam quod hic conceptus, uti jam demonstratum est, subjecti potius leges sensitivas quam ipsorum objectorum conditiones attineat, si vel maxime illi realitatem largiaris, tamen non denotat, nisi intuitive datam coordinationis universalis possibilitatem adeoque nihilo minus intacta manet quaestio nonnisi intellectui solubilis: quonam principio ipsa haec relatio omnium substantiarum nitatur, quae intuitive spectata vocatur spatium? In hoc itaque cardo vertitur quaestionis de principio formae mundi intelligibilis, ut pateat, quonam modo possibile sit, ut plures substantiae in mutuo sint commercio et hac ratione pertineant ad idem totum, quod vocatur mundus. Tum deinceps hae propositiones probantur. §. 18. Totum e substantiis necessariis est impossibile. §. 19. Totum itaque substantiarum est totum contingentium et mundus per suam essentiam ex meris constat contingentibus. §. 20. Substantiae mundanae sunt entia ab aliquo, sed non a diversis, sed omnia ab uno... Hinc forma universi testatur de causa materiae et nonnisi causa universorum unica est causa universitatis neque est mundi architectus, qui non sit simul creator. §. 22. Si quemadmodum a dato mundo ad causam omnium ipsius partium

unica valet consequentia, ita etiam vice versa a data causa communi omnibus ad nexum horum inter se adeoque ad formam mundi similiter procederet argumentatio (quamquam fateor hanc conclusionem mihi non aeque perspicuam videri) nexus substantiarum primitivus non foret contingens, sed per sustentationem omnium a principio communi necessarius. — Cum hoc conferas quaeso quae in disputatione, cui titulus: Principiorum cognitionis metaphysicae nova dilucidatio (anno 1755 scripta) Kantius dixerat: Substantiae finitae per solam earum existentiam nullis se relationibus respiciunt nulloque plane commercio continentur, nisi quatenus a communi existentiae suae principio divino nempe intellectu mutuis respectibus conformata sustinentur. — Quam prope hisce conatibus Kantius ad eum finem accesserit, quem eousque philosophia propositum habuit, ut ex Dei vera cognitione veritatis fontem aperiret, quam maxime scholion prodit, sect. IV. additum, ex quo praeclarissimam propositionem afferro, mentem humanam non affici ab externis mundumque ejus aspectui non patere in infinitum, nisi quatenus ipsa cum omnibus aliis sustentetur ab eadem vi infinita Unius, et quod sub finem indicat se sentire, quam proxime haec sua absint a Malebranchio, qui nos omnia intueri in Deo asserebat. Haec tanquam mystica refugit quidem Kantius, quoniam non satis ratione fundata ei videbantur (et id recte quidem), non quod ipsam rem repudiabat.

Totus igitur Kantius in eo erat tunc quidem intentus, non ut metaphysices fundamentum dejiceret, sed ut philosophicae cognitionis rectam viam muniret, quam merito desiderasse eum non possumus non concedere, neque dubium est ipsum scopum eum feriise, metaphysices proprium principium desiderantem, quod quidem logicae ita esset accommodatum, ut in ceteris disciplinis res singulae logicae sunt subjectae. (conf. sect. V. §. 23. Hinc quoniam methodus hujus scientiae hoc tempore celebrata non sit, nisi qualem logica omnibus scientiis generaliter praecipit, illa autem, quae singulari metaphysicae ingenio sit accommodata, plane ignoretur....) Cui desiderio satisfaciendi quum nec animum nec copiam habere tunc quidem sibi videretur, partem tamen operis haud contemnendam jam conficiendam sibi sumsit, nempe sensitivae cognitionis cum intellectuali contagium, non quatenus solum incautis obrepit in applicatione principiorum sed ipsa principia spuria sub specie axiomatum effingit, adumbrandum. Palmaris deinde lex statuitur, sollicite cavendum esse, ne principia sensitivae cognitionis domestica suos terminos migrent ac intellectualia efficiant. (Sect. V. §. 24.) Hujus legis confirmationem quaerit Kantius ex judicii logici natura, quae eo continetur, quod praedicatum latius pateat, quam subjectum, id ad quod jam in disputatione de formarum syllogisticarum natura sophistica (1763) animum adverterat, quod tamen accuratius investigandum nec ipse nec post eum philosophi tanti fecerunt. Efficitur enim ita judicium logicum cognitionis nostrae non forma tantum sed etiam vis, cum tota cognoscendi ratio in eo consistat, ut subjectum ad praedicatum referatur. (§. 24. Nam quia praedicatum in quolibet judicio intellectualiter enunciato est conditio absque qua subjectum cogitabile non esse asseritur, adeoque praedicatum sit cognoscendi principium...) Igitur si ut subjectum sic praedicatum est conceptus sensitivus (veluti in judicio: leo est animal) plana est res. At si, ut cum Kantio pergam, admoveatur (praedicatum) conceptui intellectuali, judicium tale nonnisi secundum leges subjectivas erit validum (judicium enim logicum est per se mere subjectiva cogitationis forma), hinc de notione intellectuali ipsa non praedicandum et objective efferendum, sed tantum ut conditio, absque qua sensitivae cognitioni conceptus dati locus non est. Recte me hanc Kantii argumentationem ad praedicati prae subjecto in judicio logico praestantiam retulisse, nota ab auctore infra adjuncta docet,

in qua praeceptum, quod dedit, hac propositione elucidat: „quidquid existit, est alicubi“; quae cum sit manifesto falsa, rectissima evadat, si convertatur: nempe: quidquid est alicubi, existit. Minime quidem te fugiet, verbis, quae insigniter expressa sunt, totum quodammodo idealismum transscendentalem contineri. Kantius autem tunc quidem nihil tale ex hac argumentatione collegit, sed ad axiomata subreptitia observanda ea utitur, quae per subordinationem conceptus sensitivi tanquam notae intellectualis in metaphysicam dominentur. §. 25. proponitur hoc principium reductionis axiomatis cujuslibet subreptitii: si de conceptu quocunque intellectuali generaliter quicquam praedicatur, quod pertinet ad respectus spatii atque temporis, objective non est enuntiandum et non denotat nisi conditionem, sine qua conceptus datus sensitive cognoscibilis non est. Quo axiomate spurio ideo Kantius dicit tam facile intellectum seduci, quia similitudine, qua cum alia verissima regula utatur, turbemur. Recte enim, inquit, supponimus: quidquid ullo plane intuitu cognosci non potest, prorsus non esse cogitabile adeoque impossibile. Vides Kantium his verbis distinguere inter humanum intellectum, quae spatii temporisque finibus ea, quae sunt, nempe, quae nos intuemur, circumscribit, et alium aliquem, divinum scilicet; idque cavere ne modo humani intellectus pro regula abutamur, qua ipsam rerum veritatem metiamur. (Sect. V, §. 25. Quoniam autem alium intuitum praeter eum, qui sit secundum formam spatii et temporis, nullo mentis conatu ne fingendo quidem assequi possumus, accidit, ut omnem omnino intuitum, qui hisce legibus adstrictus non est, pro impossibili habeamus, — intuitum purum intellectualem et legibus sensuum exemtum, qualis est divinus, quem Plato vocat ideam, praetereuntes — ideoque omnia possibilia axiomatibus sensitivis spatii et temporis subjicimus.) … Quo metaphysicae cognitionis corrigendae redintegrandaeque munere quam serio et quam felici cum successu Kantius tunc quidem functus sit, accuratior trium formularum descriptio demonstrat, sub quibus axiomatum subreptitiorum species complectitur; ex qua disputationis parte unam alteramve sententiam apposuisse satis habeo. Primae speciei, cujus formula haec est: „Eadem conditio sensitiva, sub qua sola intuitus objecti est possibilis, est conditio possibilitatis objecti“, exemplum affertur propositio: quidquid est, est alicubi et aliquando. Sect. V. §. 27. Quo principio spurio, quum omnia entia, etiamsi intellectualiter cognoscantur, conditionibus spatii et temporis in existendo adstringantur, incassum impugnari demonstrat Kantius aut substantiarum ceterarum immaterialium aut ipsius summi numinis existentiam. Non autem eum in hoc fructu, quem in sola refutatione erroris cerni dixeris, constitisse, sed ulterius progressum luculentissime verae philosophiae facem praetulisse, haec te verba edocebunt: „Quod autem tempus attinet, postquam illud non solum legibus cognitionis sensitivae exemerunt, sed ultra mundi terminos ad ipsum ens extramundanum tanquam conditionem existentiae ipsius transtulerunt, inextricabili labyrintho sese involvunt. Hinc absonis quaestionibus ingenia excruciant, v. g. cur Deus mundum non multis retro seculis condiderit.“ — Unum his addo exemplum ex principiis quae dixit convenientiae petitum, ut, quantopere philosophica Kantii studia tunc quidem positivae religioni inhaeserint, evincam. Sect. V. §. 30 haec leguntur: „Primum (hujus generis principium est), quo sumimus: omnia in universo fieri secundum ordinem naturae; quod quidem principium Epicurus absque ulla restrictione, omnes autem philosophi cum rarissima et non sine summa necessitate admittenda exceptione uno ore profitentur. Ita autem statuimus, non propterea, quod eventuum mundanorum secundum leges naturae communes tam amplam possideamus cognitionem aut supernaturalium nobis pateret vel impossibilitas vel minima possibilitas hypothetica, sed quia, si ab ordine naturae discesseris, intellectui nullus plane usus esset et temeraria citatio supernaturalium est pulvinar intellectus pigri. Eandem ob

rationem miracula comparativa, 'influxus nempe spirituum sollicite arcemus ab expositione phaenomenorum, quia, cum eorum natura nobis incognita sit, intellectus magno suo detrimento a luce experientiae, per quam solam legum judicandi sibi comparandarum ipsi copia est, ad umbras incognitarum nobis specierum et causarum averteretur."

Vides criticam Kantianam ante hos centum annos manifesto eum obtinuisse scopum, ut quae humanae cognitionis imbecillitate summae rerum veritati injuria infertur, ea aut exterminetur aut, si minus, detegatur; quod quidem ut veritati, quam nullum aliud verum fundamentum habere teneo quam in dogmate christiano, contradicat tantum abest, ut ejus ingenio sit accommodatissimum. Planum est igitur, ea quae in critica rationis purae aut Christianae veritati, aut omnino rerum extra visibilium ambitum positarum existentiae adversantur, ex illo principio cognitionis enata esse, quod post annum 1770 Kantius excoluit; nempe ex judiciorum, quae vocat Kantius synthetica a priore, valore in rerum natura et quidem praeter mathematicam in sola rerum natura; quod quidem principium haud te fugiet contrarium quodammodo esse eis, quae anno 1770 de intellectualium veritate non ad sensitivae cognitionis leges revocanda proposuerat, ita ut in criticae purae, quam vocavit, fundamentum ea jam receperit, quae tunc tanquam axiomata spuria aspernatus erat. — Quodsi nullo modo Fischero concedo, disputatione de Mundi sensibilis atque intelligibilis forma et principiis jamjam eam Kantii philosophiam formam induisse, quam critica rationis purae assecutum esse Kantium manifestum est, quamquam, quam constanter tenuerit, non item — unum est, quod, qui satis attente ea, quae disputavi, legit, mihi hoc contendenti possit objicere. Nam temporis spatiique notione jam anno 1770 proposita ex Kantii certe mente non universam criticae rationis purae seriem contineri, id satis spero omnibus jam firmatum esse; eo autem cadere mea sententia videatur cuipiam, quod ipse supra concesserim, argumentatione ea, qua Kantius ex praedicati cum subjecto in judicio relatione colligit, de notione intellectuali praedicatum non objective efferendum, sed tantum ut conditionem, absque qua sensitivae cognitioni conceptus dati locus non sit. Hanc enim sententiam vix negaveris analyticae transscendentalis summam praeripere, qua postea Kantius judiciorum syntheticorum a priore in rerum natura non autem in metaphysicis valore constituto Criticae rationis purae fundamentum posuit. Et ita quidem vere hoc sententiae meae objici posse concedo, ut Kantium totum hunc locum, qui de cognitionis nostrae initiis est, augurando potius quam demonstrando confecisse mihi des; quod quidem elucet non in eis tantum, quae jam attigimus, veluti in temporis spatiique definitione, etsi quodammodo probata minime hercle demonstrata, in subjectivi notione nulla inter singulorum mentis agitationem et legem omnibus communem distinctione observata, aliis, sed etiam quam maxime in categoriis tanquam conceptibus primitivis et a priore datis, quibus ita intellectus innitatur, ut sensus in temporis spatiique intuitu, non demonstratis hercle sed sumtis fictisque et, ut quod sentio dicam, quasi superstitione quadam numero quaterno exhibitis. Sed haec ad reconditiorem Criticae rationis purae Criticam pertinent; nunc satis habeo demonstrasse, non tantum post Criticam editam Kantium in philosophiae suae fundamento non omnino non haesitasse, sed in ipso illo opere palmari ad finem diversum aliquanto ab illo, quem anno 1770 prae oculis habebat, esse delatum, ad quem quidem aesthetica transscendentalis jam tunc proposita minime eum adigebat.

LECTIONES.

A. ORDINIS THEOLOGORUM.

Dr. Theol. Andreas Menzel, P. P. O. h. t. Decanus.

I. Introductione in studium theologicum praemissa priorem partem Apologetices tradet diebus Lunae et Mercurii h. II, die Veneris h. X.
II. Dogmaticam doctrinam de Deo tractabit diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis h. X.
III. Repetitiones dogmaticas instituet die Saturni h. X.

Dr. Theol. Andreas Thiel, P. P. O. h. t. Rector.

I. Historiam ecclesiasticam primi aevi Christiani enarrabit excepto die Mercurii quotidie h. IX.
II. Jus ecclesiasticum catholicorum tractabit diebus Martis, Jovis, Veneris h. VI.
III. Repetitiones et exercitationes de historia ecclesiastica instituet die Mercurii h. IX.

Dr. Theol. Franciscus Hipler, P. P. O. des.

I. Theologiam pastoralem docebit quinquies per hebdomadem h. VIII.
II. De Hymnologia ecclesiastica disseret die Martis h. VIII.
III. S. Joannis Chrysostomi de sacerdotio librum interpretabitur diebus Lunae et Veneris h. II.

Dr. Theol. Franciscus Dittrich, P. P. E.

I. Theologiae moralis partem generalem docebit diebus Martis, Mercurii, Jovis, Veneris h. XI.
II. De recentioris temporis arte ecclesiastica et profana disseret bis per hebdomadem horis definiendis.
III. Clementis Alexandrini libellum „Quis dives salvetur“ explicabit hora definienda.

Lic. Theol. Hugo Weiss.

I. Introductionem generalem in sacros V. et N. T. libros tradet bis per hebdomadem horis definiendis.
II. Isaiae vaticiania interpretabitur ter per hebdomadem h. VIII.
III. Evangelium secundum Lucam explicabit ter per hebdomadem h. VIII.
IV. Exercitationes aut Syriacas aut Arabicas instituet semel per hebdomadem hora definienda.

03824

B. ORDINIS PHILOSOPHORUM.

Dr. Josephus Bender, P. P. O. h. t. Decanus.

I. Historiam generis humani primaevam resque populorum Orientalium enarrabit bis per hebdomadem h. VIII.
II. Historiam Prussiae imprimis Warmiae tradet bis per hebdomadem h. VIII.
III. Selecta historiae capita critice tractabit semel per hebdomadem h. VIII.
IV. Historiam poësis Christianae maxime apud Germanos docebit semel per hebdomadem hora definienda.

Dr. Laurentius Feldt, P. P. O.

I. Physicen experimentalem docebit et conversatorium de rebus physicis instituet diebus Lunae, Martis et Jovis h. XI.
II. Aut Astronomiam popularem cum Astrognosia conjunctam exponet, aut historiam universalem physices a Galileo usque ad nostram aetatem enarrabit diebus Mercurii et Veneris h. XI.
III. Calculum differentialem et integralem tractabit et problemata geometrica et mechanica calculi integralis ope solvenda proponet diebus Lunae et Jovis h. II.

Dr. Fridericus Michelis, P. P. O. des.

I. Logicam docebit quater per hebdomadem h. X.
II. S. Thomae Aquinatis cognitionis humanae theoriam et cum Aristotelica et cum Kantiana comparabit bis per hebdomadem h. X.
III. Geologiae lineamenta tradet bis per hebdomadem horis definiendis.

Dr. Guilelmus Weissbrodt, P. P. E. des.

I. Latine disputandi exercitationes bis in hebdomadem instituet.
II. Euripidis Iphigeniam Tauricam bis interpretabitur.
III. T. Lucretii de rerum natura libros item bis interpretabitur.
IV. Res sacras Graecorum bis enarrabit.

Stadtbibliothek Thorn

Publica doctrinae subsidia.

Bibliotheca, cui praeest **Prof. Dr. Thiel**, commilitonibus patebit diebus Martis et Veneris h. II—III. Instrumenta, quae ad physicen, mathematicam et astronomiam pertinent, custodit **Prof. Dr. Feldt.**